DE NATURALI LILIORUM, QUÆ ANTE SIMULACRA DEIPARÆ LOCANTUR, ...

Attilio Zuccagni

℄ *Ad Illustrissimum & Reverendissimum* ANTONIUM MARTINI *Florentinæ Ecclesiæ Archiepiscopum.*

IRABERIS FORTASSE, ILlustrissime ac Reverendissime m Præsul, hoc praesertim labente sæculo, io quo præ cœteris Philosophia principem sibi locum osurpare contendit, in ipso huiusce Urbis domicilio quæ olim scientiarum omnium ac præcipue physicarum cuna sedesve fuit, ad prodigium Divina in actu apposita manu perpatratum revocari ea, quæ a Summo creante Numine, inditis tantum à principio suetisque legibus, sponte sua, mirabilique structura, & ordine moventur, evolvontur, gignuntur.

Equidem noo insolitam horum prodigiorum copiam vulgo prædicatam invenies, quoties tecum reputaveris præteritorum temporum recolens memoriam, afflictos prædatosque Populos, ingruente aliqua supervenientis

calamitatis perturbatione commoveri, & impelli ad plura & varia, quæ animum frangens & obstupefaciens timor excitat, auget, portenta excogitanda, quasi futuras hominum sortes, & obscuros casus præsagire valeant.

Eadem itaque de caussa, eodemque instinctu, vertente anno MDCCXCVI. hujusce Civitatis incolæ, qui Religione se nulli Populo secundos esse gloriantur, ut primum adspexere ante unam atque alteram Deiparæ ædiculam, quam vocant tabernaculum aliquot *Lilii candidi* scapos appositos, per æstatem assidue viridantes, ac propriis pericarpiis, floribus jam exeussis, onustos, hæ novæ productiones, uti repetita florum germina, seu *Perianthia* improvide arbitrati, ea summo ipsius Deiparæ prodigio adscribenda esse, communi sententia statuerunt.

Tibi placuit, Reverendissime Præsul, eâ quâ polles prudentiâ, Populi superstitionem a veri Miraculi natura & ratione discernere, verbis Divi Bernhardi evictus, qui de

summa Deiparæ sanctitate agens, eamdem tot tantisque miraculis esse firmatam constituit, ut *non egeat falso honore*.

Hinc meam de hoc excogitato prodigio percontari sententiam non dedignatus, per Vicarium tuum Reverendissimum Augustinum Albergotti mihi committere indulgenter voluisti, ut, binis invisis tabernaculis, Liliorum caules adhuc vegetos ad severum examen revocarem, quod Mandato Tuo obsequens, sequenti die, videlicet IV. Idus Augusti hujus anni 1796, summo mane, ne tumultus fieret in devoto Populo, absolutum est.

Sex Liliorum scapos, ad tabernaculum Conceptionis, in via quam *Cerasi* appellant, positos inveni, in vase vitreo aqua repleto locatos: binos autem parieti simpliciter alligatos, ad latus tabernaculi, Virgini Deiparæ sacri, in via, quam dicunt *Porcellanam*.

Priores scapi foliorum rudimenta sicca vel emarcida ostendebant, corticemque om-

nino aridum ad dimidiam altitudinem usque; quod reliquum erat, virens hactenus, admodumque succulentum conspiciebatur, una cum sexdecim pedunculis a quibus, loco florum, totidem sustinebantur capsulæ magnitudinis variæ, quæque seminibus plurimis fœtæ, in tria loculamenta distributis, & ad variam maturationis gradum perductis.

Cœteri Liliorum scapi, qui secundo tabernaculo erant affixi, suam summitatem solummodo virentem retinebant, tribus dumtaxat capsulis seminiferis ornatam: æque tamen succulentis ac virescentibus.

Hujusce observationis ope, populari judicio de hac repetita Liliorum, uti opinabantur, inflorescentia interim rejecto, reliquum est ut factis & argumentis a Physica Vegetabili depromptis innixus, demonstrandum aggrediar, quod Liliorum scapi floriferi, quamquam e radice avulsi, diutius vegetatione gaudeant, & in hac tantummodo occasione semina fructusque enutriant, & emittant.

Unicuique notum revera est quod Vege-

tabilia omnia, quæ crassa dicuntur ac succulenta, vegetandi aptitudinem minime amittant, etiamsi radicitus avulsa, necnon in frustula amputata: quin imo istarum stirpium ramus, quotiescumque ad parietem deorsum appendatur, celeriter sese reflectit, veterem resumens directionem. Ex hoc facilé elucet, huiusce generis stirpes ab aere potius quam e tellure, e qua sustentaculum tantummodo recipiunt, proprium trahere alimentum.

Hance proprietatem, primo quidem intuitu prodigiosam, constanter offendimus in omnibus *Sedi*, ac *Sempervivi* speciebus, necnon in singulis Vegetabilibus succulentis, quæ nudas africanas rupes exornant, quarum nonnullæ flores quoque in hoc statu sæpé eliciunt.

Liliorum itidem flores anté explicationem e planta avulsi, & in vase figulino diligenter elausi, diutius facultatem sese aperiendi servant, itaut si post longum tempus Soli exponantur in aqua calida, cito sese aperiant, ac floreant, teste Mattiolo (*a*).

Attamen Lilia eadem, necnon stirpes pleræque bulbosæ, quarum propagatio bulbillorum multiplicatione plerumque obtinetur, e terra avulsæ, non solum vegetant diutius atque virescunt, sed semina quoque maturant, perindè ac si earumdem bulbi emercidi facti fuissent. In hoc enim tantum casu datum iisdem fuit, semina offerre fœcunda a providissima Natura, ne speciei propagatio deficeret (*b*).

Tanti revera momenti est ut Vegetabilium propagatio secura reddatur, quod liberalis Naturæ Auctor viviparas usque effecerit plantas nonnullas, post inflorescentiam morituras, uti observatione dignum conspicitur in *Furcræa gigantea* Vent, & in aliis *Agaves* speciebus, sed præsertim in *Agave Theometel*, cuius descriptio in mea Centuria I. Observationum Botanicarum in posterum evulgabitur.

Hæc Liliorum admiranda proprietas ex hoc oriri videtur, quod scapus avulsus succum nutritorium, diu ex aere absorptum,

in vasculis retinere proprìis sit coactus, cum ob bulbi defectum, in ejusdem augmentum succum hunc nocturno tempore dirigere nequeat. Hinc evenit, ut hic humor ibidem collectus, contra ordinarias Naturæ leges ad florum thyrsum omnino transferatur, ibique non amplius ad bulbillorum multiplicationem, verumtamen in augmentum germinum jam a polline fœcundorum sese convertat, ad perfectam usque seminum maturitatem.

Notum insuper est, quod humor à Vegetabilibus ex aere absorptus, quantitate non parum eum excedit qui e radicibus depromitur, atque sursum attollitur (c). Hinc est, quod ejusdem influxu Lilii germina, post petalorum staminumque casum fœcunda, celeriter crescunt, & semina præbent fertilia: Et quoniam huiusmodi humoris effectus in Lilio, terræ adhuc affixo, ad bulbi multiplicationem a providissima Natura unicé circumscribitur, quid igitur mirum si, eodem permanente scapo, Lilii conservatio-

ni æque inservire valeat, semina fœcunda novellis substituendo bulbillis, ob solam inversam directionem?

Hocce phœnomenon Cl. Conrado Gesnero (d), inter antiquiores Botanicos non fuit occultum, uti asserit Tournefortius (e), dum Gesneri observationem his verbis confirmat = *Lilii albi caulis cum floribus amputatus, & suspensus, auctore Gesnero, semen profert; quod feliciter etiam Parisiis expertus sum.*

Hujusmodi inventi honos Gesnero æque tribuitur ab Ilalo Clarici in opere posthumo Venetiis impresso an. 1726, cui titulus = *Istoria e cultura delle Piante*, hisce verbis (f).

„ Non fanno mai seme sino che sono „ in terra, ed il Gesnero hà il merito di „ avere insegnato il modo con che sollecitare la produzione. Si staccano dunque „ dalla pianta, mentre che è ancor fiorita, „ ed appesi in qualche luogo producono il „ seme: del che ci fa testimonianza anco „ il Tournefort per averne fatta la prova.

Idem affirmatur a Clar. P. Arena in opere inscripto *Cultura dei Fiori* (g), ubi de Lilio pœticé agens, ipsum tamquam puritatis symbolum, ooo solum ob florum candorem considerat, sed & quod nè semina quidem possit coocipere, dum telluri manet infixum. Idem adscribit immodico, quem præbet bulbus, humori nutritorio, dum semina perfici asserit, solo humore a scapo prodeunte. Sed hæc opinio theoriæ Vegetationis omoioo repugnat: succus enim outri&torius nimis abundans, efficit ut Vegetabilia plenos afferant flores, contra vero defectus vel imminutio huius humoris Vegetationis progressui obsistit, necnoo inflorescentiam omnino removet, tantum abest ut fructificationi prodesse valeat.

En, flevereodissime Præsul,. quod de hoc excogitato miraculo, maximâ temporis angustiâ, proferre potui in Veritatis lucem, & absque injuria inconcussæ Religionis Catholicæ, quam ad cinares usque profitebor.

Plura huiusmodi porteotorum exempla,

quæ minus providos decipere solent, Nobis non rarò præbet historia.

In hac foecundissima veluti messe, illud unum seligam, utpote ad illudendum populo aptissimum, quod de *Prodigiosis Crucibus* commemorat, tamque affabré descripsit, eleganterque explicavit Athanasius Kircherius (*h*) ut portenti opinionem de hoc tam singulari & inaudito phœnomeno e Neapolitanorum animis penitus evelleret.

Vestes siquidem ac linteamina quædam, quæ Neapoli rori exposita relicta noctú fuerant, cruciformibus sanguineis maculis notata mirum in modum apparuere.

In telis autem, quæ ut albescerent, prope erant positæ, non simplices tantum, sed & duplices triplicesque Cruces conspiciebantur.

Talis insuper ac tam perfecta apparebat earundem figura, uti si a pluma penicillove exaratæ fuissent.

Præcedens interea Vesuvii montis incendium, omni tempore funestissimi ominis,

populum, metu atque horrore oppressum, ad prodigia excogitanda proclivem reliquerat.

Quid igitur mirum, si hæc verisimilis Crucium sanguineatum pluvia, tantam excitaverit admirationem incolis Neapolitanis, jampridem pavidis, atque nupera Vesuvii eruptione exterritis?

In hac populari animi trepidatione, oportebat ut magni nominis Philosophus phœnomenon ad trutinam revocando, ejusque caussam statuendo, superstitionem atque populi perturbationem amoveret, quod egregié adimplevit Clariss. Kircherius.

Memoria enim repetens, quod cinis Vulcanicus eruptationum ignitarum utplurimum pedissequus, ob summam, quâ gaudet, attenuationem, ad longum tempus per aerem volitet, & ventorum ope in regiones interdum longinquas transferatur: certior itidem factus, quod pridié cinis hic Vesuvianus, admodum tenuis, ac oxydo Ferri rubro inquinatus, totam Neapolis atmosphæram ita occupaverat, ut Solem ipsum obum-

braret; pari evidentia conclusit, delapsui hujusmodi cineris rore matutino soluti, maculas linteaminum celarumve esse tribuendas.

Ad figuram autem macularum constanter cruciformem quod attinet, perspicuè declaravit, quod cinis idem, qui maculas irregulares primum signaverat, a rore successivo denuo ablutus, & amplius extensus, filorum interstitia necessariò replere debuerat, tam longitudinalia quam transversa, ex quo lineæ rubro-sanguineæ perpetuo cruciformes oriebantur.

Sed ne longius, quam per est, hæc qualiscumque mea protrahatur epistola, sat erit meminisse, Præsul amplissime, vetus inter Agri Florentini rusticos adagium = *Liliorum semina ad tabernacula perfici* =: Quod ut magis magisque confirmem, dum hæc ad Te scribo, mihi scapus affertur Lilii humanæ fere altitudinis, pericarpiis, seu capsulis seminiferis, adhuc virentibus onustus, qui è terra post inflorescentiam avulsus, neglectus jacuit per aliquot menses inter qui-

squilias Viridarii Excell. Senatoris Julii Mozzi Consiliarii Regii: quod aperte demonstrat. Liliæ ubicumque fructifera evadere posse, dummodo eorumdem scapi à radice bulbosa maneant sejuncti

Et dum Mandata Tua, pro viribus me explevisse, atque unice veritati litasse confido, oro Te, atque obsecro, ut Benedictionem mihi perhumaniter impertiaris.

Dabam Florentiæ die XXV. Augusti an. 1796.

Atilius Zuccagni *Med. Flor., & in Regio Physices Museo Horti Botanici, Rerumque Naturalium Præfectus.*

ADNOTATIONES

[a] Discorsi sopra Dioscoride pag. 553.

[b] Attentione dignissimum est, plantas bulbiferas semina non maturare, nisi bulbi destruantur, quod in *Lilio bulbifero* cernimus. Linn. Amœnit. Acad. T. VI. p. 381. in Prolepsi Plant.

[c] Targioni inst. Bot. T. I. pag. 149.

[d] Epist. pag. 43.

[e] Instit. R. Herb. pag. 371.

[f] pag. 279.

[g] T. II. pag 103.

[h] *Athanasii Kircheri* Soc. Jesu = Diatribe de prodigiosis Crucibus, quæ tam super vestes hominum, quam res alias, non pridem post ultimum incendium Vesuvii Montis Neapoli comparuerunt. Romæ 1661.

LAUS DEO.